Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

babylonia sicut fecimus nos et patres nostri, reges nostri et principes nostri in urbibus iuda et in plateis ierusalem: et saturati sumus panibus, et bene erat nobis, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore quo cessavimus sacrificare regine celi, et libare ei libamina, indigemus omnibus, et gladio et fame consumpti sumus. Quod si nos sacrificamus regine celi, et libamus ei libamina, numquid sine viris nostris fecimus ei placentas ad colendum eam, et libandum ei libamina? Et dixit ieremias ad omnem populum adversum viros et adversum mulieres, et adversum universam plebem que responderant ei verbum, dicens: Numquid non sacrificium quod sacrificastis in civitatibus iuda et in plateis ierusalem, vos et patres vestri, reges vestri et principes vestri et populus terre, horum recordatus est dominus, et ascendit super cor eius? Et non poterat dominus ultra portare propter maliciam studiorum vestrorum, et propter abhominationes quas fecistis. Et facta est terra vestra in desolationem et in stuporem et in maledictum, eo quod non sit habitator, sicut est dies hec. Propterea quod sacrificaveritis ydolis, et peccaveritis domino, et non audieritis vocem domini, et in lege et in preceptis et in testimoniis eius non ambulaveritis: idcirco evenerunt vobis mala hec, sicut est dies hec. Dixit autem ieremias ad omnem populum adversum viros et adversum mulieres, et adversum universam plebem: Audite verbum domini omnis iuda qui estis in terra egypti. Hec dicit dominus exercituum deus israel, dicens: Vos et uxores vestre locuti estis ore vestro, et manibus vestris implestis dicentes: Faciamus vota nostra que vovimus, ut sacrificemus regine celi, et libemus ei libamina: et implestis vota vestra, et opere perpetrastis ea. Ideo audite verbum domini omnis iuda qui habitatis in terra egypti: Ecce ego iuravi in nomine meo magno, ait dominus: quia nequaquam ultra nomen meum vocabitur ex ore omnis viri iudei dicentis: Vivit dominus deus in omni terra egypti. Ecce ego vigilabo super eos in malum, et non in bonum: et consumentur omnes viri iuda qui sunt in terra egypti, gladio et fame, donec penitus consumantur. Et qui fugerint gladium, revertentur de terra egypti in terram iuda viri pauci: et scient omnes reliquie iuda ingredientium terram egypti ut habitent ibi, cuius sermo impleatur, meus an illorum. Et hoc vobis signum, ait dominus, quod visitem ego super vos in loco isto: ut sciatis quia vere complebuntur sermones mei contra vos in malum. Hec dicit dominus: Ecce ego tradam pharaonem ephree regem egypti in manu inimicorum eius, et in manu querentium animam illius: sicut tradidi sedechiam regem iuda in manu nabuchodonosor regis babylonis, inimici sui et querentis animam eius.

Verbum Capitulum XXXV. quod locutus est ieremias propheta ad baruch filium nerie, cum scripsisset verba hec in libro de ore ieremie, in anno quarto ioachim filii iosie regis iuda, dicens: Hec dicit dominus deus israel ad te baruch: Dixisti: Ve misero michi, quoniam addidit dominus dolorem dolori meo: laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni. Hec dicit dominus: Sic dices ad eum: Sic dicit dominus: Ecce